



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm,
Consiliariorvm Iudicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm
Magistratvum Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum
omnium**

Tympe, Matthäus

Coloniae Agrippinae, 1617

11 Ab ambitione alienum esse. v. Signum 33. & 73.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52641)

cile assequuntur. Principis opes non sunt tam in auro, & argento, & in gemmis, & in vectigalibus immensis, & Imperio latissimè propagato, quàm in hominum honestissimorum amicitia collocandæ. Hinc Dion ad Dionysium scribit: Non videmus in Tragœdijs Principes argenti inopia, sed amicorum penuria concidi. Nemo enim eorum conqueritur, quòd egestate compulsus, in coniuratorum manus incidit; sed quid dicit Orbatus amicis, ah miser, fœdè interimor. Apud Persas olim quidam Regis oculi nominabantur, alij aures, alij amici, quo nomine illæ etiam oculorum & aurium functiones facillimè continentur. Rex enim fidelibus amicis stipatus, multis oculis omnia, quæ sunt illi speculanda, atque animaduertenda, prospicit: & multis auribus quæ sunt audienda agnoscit, ita vt labi & errare minimè possit. *Osor. lib. 6. de Instit. Regis. Vide in 2. parte Theatri historici pag. 1. de Constantio Choro.*

SIGNVM XI.

AB AMBITIONE ALIENUM ESSE.

*Ambitionem
fuga.*

QVemadmodù domestico fumo qui laborant, foris sociennos quærunt, quibus miserias animo suo, vt ille ait, exspuere conantur, & in circulis ac lescis sine causa herent, in macello & cõstrinis noua venâtur: ita publica officia nõ-

D 4

nulla

nulli ambiunt, inque hæc ipsa sese ingerunt, qui
 domi quod agant non habent, seu aliorum nego-
 tiorum penuria ad Reip. negotia capessenda aspi-
 rant, longa subfellia, & puluinos tantum non som-
 niant, & Magistratus ambiunt. Verum hi infelices
 in gubernatione sunt: quia per iocum ac ludum
 publica negotia tractant, post eorundem cum do-
 lore atque dedecore difficultatem experiuntur.
 (*Plut. in præc. gerenda Reip.*) Nam qui ambitione
 laborant, similes sunt histrionibus, qui ad Thea-
 trum sese componunt, Scenæq; inseruiunt, & in-
 terim duo incommoda magna, seruitutem, &
 offensiones plurimas, sentiunt. (*ibid.*) & cum Ixi-
 one comparari possunt, qui apud Poetas dicitur
 cum nebula pro Iunone concubuisse, atque in
 Centauros procreasse, quod ambitiosi, dum celi
 sese digito attingere opinantur, plerumque faci-
 nora adulterina & exilia edunt, monstruosos ac
 Centauricos habent impetus, multa propter im-
 perandi cupiditatem iniuste agunt. (*Plut. in præc.
 de.*) Adhæc, quod quisque Magistratum appetit a-
 uidius, eò magis à populo contemnitur, seq; ip-
 sum commendare necesse habet: (*Plut. in præc.
 ger. Reip.*) sed post deprehenditur ambitionem
 ad dignitatem non nisi per indigna ducere, ut A-
 bimelech 70. fratres propter regnandi cupidita-
 tem interemit. (*iud. 9.*) Antoninus supra matris
 pectus Getam fratrem obruncavit, addens: *Sit
 diuus, modo non uiuus.* Herodianus lib. 4.
 Præter hæc, deterrebunt Magistratum ab am-
 bitione sequentes rationes.
 I. *Romani* contra ambitiosos varias tulerunt
Leges, quas Sigonius lib. 2. de Iudicijs cap. 30. re-
 censeat: *Petelliam*, contra mundinas & concilia-
 bula

Seneca.

hula prensandi causa instituta. *Babiam, AEmilia,*
 aduersus largitores latam: *Corneliam, Fuluiam,*
 prohibentem, ne suffragia donis ac muneribus e-
 merentur: *Mariam,* quæ, vt Cic. 3. de leg. scribit,
 pontes in Comitijs angustos fecit, ne cui suffra-
 gatori ad rogandum locus in ijs pateret: *Aciliam,*
Calpurniam, quæ statuit, vt ambitus damnati qui
 essent, ijs Magistratû capere non liceret, vel ij in
 perpetuû gerendi honoris impotentia multarê-
 tur: (*Dio li. 36.*) *Pompeia,* quæ accusatores ambitus ^{Edictum}
 magno præmio proposito cõstituit: (*Dio.*) *Iuliam* ^{Augusti.}
Augusti, qua statutû fuit, vt qui largitionib⁹ Ma-
 gistratû petijissent, quinquennio à Magistratu ar-
 cerentur, & vacarent. (*idem lib. 54.*) Meminerunt
 harum & similibus legum contra ambitû & do-
 minandi cupiditatê latarû Suet. in *Cesare,* & Cice-
 ro 1. de *Off. 3. de leg. & in Orationibus pro Muræna,*
Ciuentio, Sylla, Plancio, & in Vatiniû habitis.

II. *Leges ciuiles* volunt, vt si quis contra legem
Iuliam ambitus in municipio Magistratum aut
 Sacerdotium petierit, centum aureis cum infam-
 ia puniatur. *Dige. lib. 48. tit. 14. Cod. lib. 9. t. 26.*
Instit. lib. 4. t. 18.

III. Quod non liceat vti largitionibus ac nun-
 dinationibus, seu, emere Magistratus & hono-
 res, docent hæ rationes. I. quia est argumentum
 malè constitutæ Reip. cùm Magistratus venales
 sunt, Principatus & Regna pecunia parantur.
 (*Plato 8. de Rep.*) Hinc enim fit, vt maiore in ho-
 nore atque pretio sint diuitiæ, quàm virtus, & vt
 tota ciuitas immoderato pecuniæ studio dedita
 sit. Nam quidquid honorandum Principes ciui-
 tatis, & dominatû in Rep. obtinentes existimant,
 idem & reliquis ciuibus honorandum esse vi-
 detur.

D. 5. detur.

Vide signū
32. par. 2.

detur. (*Arist. 2. Pol. cap. 11. vbi & Carthaginenses ob venales Magistratus reprehendit.*) Et probabile est eos, qui Magistratus emerunt, cum impensam fecerint in Magistratum, assuescere questum facere. (*Ibid.*) 2. Seuerus Imp. nundinationes tales prohibuit, necesse esse dixit, vt qui emit, vendat. (*Lampr.*) 3. facit hoc ad ipsius Magistratus contemptum: quandoquidem pretium quod habet, hoc ipso vilescit. (*Quintil. 12. Instit. Orat.*) Vnde in Nouellis Constit. *constit. 8.* Imperator cum mādāt, vt prouinciarum Præsides peris vtantur manibus; ab omni acceptione absterneant, solis ijs contenti sint, quæ à Fisco dantur non aliter fieri id posse affirmat, nisi & ipsi cingula sine mercede percipiant, nihil omnino dantes, &c. Hæ certè nundinationes ruinam acq̃ interitum Magistratibus & Imperijs adferunt. Nam qui per largitionē Magistratus adepti sunt, dant operam, vt ita potestatem gerant, vt illā lucunā rei familiaris explere possint. *Cic. 4. in Ver.*

I V. Viri prudentes nullas ambiunt dignitates.

Primò: quia sciunt omnem potestatem esse dari à Deo.

Hinc 1. *Titus Vespasianus*, qui propter eximia animi dotes dictus est amor & delicia generis humani, cum duos patritij generis conuictos affectatione Imperij comprehendisset, nihil amplius quàm vt desisterent monuit, Principatum prouidentia diuina dari, inquit, frustra quæteri facinus potiundi spe, aut amittendi metu.

2. Bohemis imperabat *Libussa* vnica Regis filia, quæ moriente patre virgo cœpit administrare paternam ditionem tam prudenter, vt Re-

diu nullus desideraretur in ea gente: ita circum-
 spexit omnia, ita iustitia insignis erat, vt nemo
 sub illa quereretur se suo destitutum, adeo sce-
 lerum vltrix, vt nemo impunè peccaret. Mani-
 sent proceres sub foemina longius, sed morta-
 lem prospicientes, semen regium ex illa deside-
 rare videbantur. Dum tamen nemo audet inter-
 pellare super ea re foeminam, sumpserunt auda-
 ciam nonnulli ex maioribus, vt voluntatem Pro-
 cerum & totius populi consensum atque deside-
 rium explicarent. Illa toruo primùm vultu in-
 tuita referentes: *Quid est, inquit, quod vobis de-
 sit in hoc rerum statu, vt Regem desideretis?* at illi:
*nihil, si te immortalalem haberemus. Nunc quoniam
 communi omnes sorte sumus defecturi, cum te ca-
 vere debeamus, semen ex te regium mitigaret po-
 puli desiderium, & ingentè nominis tui affectum.* Dis-
 simulabat aliquandiu casta mulier populi de se
 desiderium, tã illã delectabat thorus sine socio, tã
 coelibatus illi inhærebat. Sed cùm illi finè nõ face-
 rêt, illa oraculo cõmonita, iussit ornari candidum
 gradarium equum, cui proficiscens insidere solebat;
 illũ sequi præeuntẽ Proceres iubet, & apud quẽ
 is consisteret quiescens, qui de ferrea mensa ci-
 bum caperet, Regem mox consalutarent: nam
 illum dignaretur thoro maritum, quem fata iu-
 mento imperantia monstrarent. Sed ulò implent
 quod iusserat Regina, sternunt iumentum, &
 permisso illi fræno, liberum sinunt præire: illi
 porrò sequuntur equum, observantes quò vadat.
 Abibat in agros, viam non parvam, nec per soli-
 ta gradiebatur itinera, sed compendia quarere
 visus, ibat in directa per nemora, per dumeta,
 per agros, donec ipso iã meridie deprehende-
 ret

ret hominem labore fessum se ad refectiorem in agro, quem arauerat, reponentem. Verterat aratrum, & ferrum, ex sulco attrito splendescens, in planitiem positum, pro mensa habebat. Cum hominem cereret iumentum, ecce sterit immobile, nusquam diuertens, aut circumspiciens. Aderant dicti primores, qui id obseruabāt. vbi vident hominem aratri ferro vti pro disco, recollunt quid de ferrea mensa illis. Regina mandasset obseruandum. Voto se potitos interpretantur, & gaudent, mox sciscitantur de nomine: *Pribis-lao*, inquit, *mibi nomen est*: illi verò: *Surge pratinus, & conscende stratam tibi iumentum*, pertrahuntque ad Reginam, insinuantes quid repererint. Illa fato monstratum virum complectitur, & pro regia dignitate, suis nudatum vestibus, ornat, & thoro dignatur. Quietā & sine vlla contentione vitam cum vxore traduxit, & Remp. feliciter administravit. Bohemi in primario vrbis templo ligneas soleas, quibus arant utebatur, diutissime seruauerunt, easque ceu rem sacram nouis Regibus. dum diademate ornarentur. prætulerunt. *Krantz. lib. 1. VVand. c. 17. Fulgof. lib. 3. cap. 4.*

3. Constat ex libris Iudicum & Regum excitos in veteri Testamento à Deo saculares esse Iudices, aut Principes, qui populum è seruitute infidelium vindicarent. Dauidem è multis fratribus Regem à Deo esse electum: (*1. Reg. 16.*) Salomonem eius filium magnificè profiteri à Domino Regem se esse constitutum: *Vixit*, inquit, *Dominus, qui firmavit me & collocavit me super solium David patris mei*: (*3. Reg. 2. 2. Par. 2.*) & in Prouerbijis eiusdem Salomonis Sapientiam Dei dicere,

dicere, cap. 8. v. 15. *Per me Reges regnant.* vt meritorè inoleuerit mos ille apud supremos Principes, vt dicant & inscribant se Reges gratia Dei, vel Diuina clementia, licet nonnullis successione regnum vel imperium deferatur. Deus enim potuit vel morte auferre, vel permittere vt alius regnum occuparet.

Secundò: Ob molestias imperij & curarum vndas, quibus alliduntur & merguntur qui sunt cum imperio.

Hinc 1. *Antiochus* Rex Asiae, cum, moto contra Romanos bello, magnam partem regni amisisset, dixit, benignè sibi à populo Romano esse factum, qui eum nimis magna procuratione, constitutis mediocribus regni terminis, liberasset.

2. *Seneca lib. de breu. vita* ait: *Augustus Caesar* non desijt quietem sibi precari, & vacationem à Rep. petere, omnis eius sermo ad hoc semper reuolutus est, vt sibi pararet otium. Expertus enim erat, quantum illa bona per omnes terras fulgentia sudoris exprimerent, quantum occultarum sollicitudinum tegerent. Idem *Augustus* Equite quodam Romano mortuo, qui ære grandi alieno oppressus erat, atque ob id res eius auctioni subiiciebantur, emi sibi mandauit (lectum &) culcitram eius cubicularem, mirantibusque hoc præceptum, *habenda est, inquit, ad somnum conciliandum, in qua ille tanto ære alieno obstrictus somnum capere potuit.* *Macrob. lib. 2. c. 4.* seu rogatus, cur solum lectum emi iussisset, respondit: *Cetera abunde mihi suppetunt, somno duntaxat in tantis imperij molestiis indigeo, si eum dulcem & omnium curarum expertem tam obarato praeiit hic lectus, praebebit credo & mihi.*

3. Cic.

Vide in fine
huius signi-
ficationē
huius ex-
empli.

Intelligit
fellam au-
ream in me-
dium lecti
Sternij fa-
stam, in qua
accubans
cœnare po-
terat. Vete-
res enim
decumben-
tes vel ac-
cumbentes
in lectulis
cœnare sola-
bant.

Eiusdem
Dionysij
miseram
vicē descri-
bit Cic. in
Offic.

3. Cic. 5. Tusc. ait: Cùm quidam ex assentato-
ribus Dionysij Syracusanorum Tyranni, Damo-
cles, commemoraret in sermone copias eius, o-
pes, maiestatem, dominatus, rerum abundan-
tiam, magnificentiam ædium regiarum, negaret-
que vnquam beatiorem quenquam fuisse, Visne
igitur, inquit, O Damocle, quoniam hæc te vita de-
lectat, ipse eandem degustare, & fortunam ex-
perire meam? Cùm se ille cupere dixisset, collo-
cari iussit hominem in aureo lecto, strato pul-
cherrimo textili stragulo, magnificis operibus
picto, abacisque complures ornauit, argento
auroque cætrato. Tum ad mensam eximia forma
pueros (pocillatores) delectos iussit consilite-
re, eosque ad nutum illius intuentes (intentos)
diligenter ministrare. Aderant vnguenta, coro-
næ, incendebantur odores, mensæ conquistissi-
mis epulis extruebantur. Fortunatus sibi Da-
mocles videbatur. In hoc medio apparatu ful-
gentem (strictum) gladium è lacunari (super-
riori parte cubiculi) seta equina appensum de-
mitti iussit, vt impenderet illius beati cervici-
bus. Itaque nec pulchros illos administratores
aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec
manum porrigebat in mensam: iam ipsæ de-
fluebant coronæ. Denique exorauit Tyrannum, vt
abire liceret, quod iam (vterius) beatus nol-
let esse. Satisne videtur declarasse Dionysius,
nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror
impendeat? (qui semper metuat?) Hæc Cic. vi-
de Horat. Oda 1. lib. 3. & oda 10. lib. 2. Septu-
ventis agitatur ingens Pinus, &c.

4. Seleucum dicere solitum accepimus: Si fati-
norint homines quàm operosum, quamque mo-
lestum

lectum sit, vel modò tantarum rerum aded numerosas epistolas aut scribere, aut legere, diadema proiectum neminem excepturum. *Cal. lib. 8. cap. 1. Antiq. lect.*

5. *Themistocles* audiens quosdam ambire magistratum: *Si mihi, inquit, duas ostenderetis vias, quarum vna ad infernum, altera ad tribunal duceret, multo libentius ingrederer eam, qua re-cta ad infernum tenderet.* *Aelian. lib. 9. var. hist.*

6. *Antigonus* filio dicebat: *An ignoras Regiam vide de splendidam esse seruitutem?* Et: *Si quis nosset cognitione quantis malis diadema esset refertum, ne humi sui quidem iacens tolleret.*

7. *Suantocopius* Bohemiæ & Moraviæ Rex ab *Arnulpho* Imp. ingenti prælio victus, cum ægrè viuis euasisset, tandem ad montis cuiusdam pedem, depositis armis, & relicto equo, loca auia & solitaria petijt, in quibus aliquamdiu vagatus, vitam pomis agrestibus & radicibus sustentans, tandem ad tres Eremitas peruenit, & ab ijs in consortium receptus, reliquum ibi vitæ curriculum in summa paupertate exegit, nec interea cuiquam quisnam esset aperuit. Tandem iam morti vicinus socios suos ita affatus dicitur: *Me quis sim vos hæcenus nescistis: Bohemia & Moravia Rex sum, vel potius fui, prælio victus in hac solitudine latibulum quasiui, & apud vos inueni: vramque vitam, Regis & priuati hominis degustauit, hoc sanctè vobis affirmo, nullà regni fortunã eremi tranquillitati præferendã. Radicibus enim, herbis, & aqua, optimũ sapore cõciliat: cõtra pericula & cura, quibus*

bus dies noctesq; Reges anguntur, omnem cibum & potum amarum reddūt. Quamdiu Deo visum fuit, beatè apud vos vixi: at omne illud tempus, quod in Regno transegi, mors potius mihi, quàm vita videtur.

Vide Men
sam Theolo-
Philos.

8. *Simeles*, militum Adriani præfectus, cum à grè vacationem obtinuisset, & in agro septem annis, quod reliquum fuit vitæ, priuatus in otio & quietè exegisset, moriès sepulchro suo in scribi iussit: *Simelis hic iacet, cuius ætas quidem multorum annorum fuit, septem tamen duntaxat annis vixit.*

Exod. 3.

9. Obsequentiſſimus Dei famulus *Moyſes* quàm timidè, quàmq; cunctanter legationem ad Pharaonem suscepit? assignatum sibi à Deo munus tantum non subterfugere parat, & onus, quod suis humeris impar existimabat, valentiori alteri cui imponi adeò humiliter ac demissè deprecatur, vt propemodum quasi contumaciter abnunti & recusanti seruulo meritò subiraſci Dominus videatur.

10. *Theodosius* Imp. non quæſiuit purpuram, sed quæſitus est ab ea. Vnde Claudianus:

Naz. Loch
principem
contemere,
princeps est
ſapientia.

*Hæc sunt innumeris per se quaſita trophæis,
Non generis dono, non ambitione potitus.*

*Digna legi virtus: vltro se purpura supplex
Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.*

Nam Gratianus Imp. proximè spectans imminentes in cladem totius Romani Imperij Gothorum victrices turmas, cum ipse reuocaretur in Gallias, ob Alemannos iterum rebellantes Imperatoris absentia, & ob cladem Orientalem ferocioribus animis inſoleſcentes, adorato numine, eius instinctu publicis Comitijs militibus

ereavit Orientalis Imperij, in locum Valentis defuncti, Theodosium Imp. Hinc Augustinus, *lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 25.* Gratianus, ait, Theodosium regni participem fecit, cum paruulum haberet & fratrem (Valentinianum,) auidior fidæ societatis, quàm nimix potestatis. Seu: Gratianus, prospiciens publicæ potius, quàm priuatæ vtilitati, Theodosio dimidium cessit Imperium, cum reliqui dimidij iam ante fratrem adsciuisset sibi consortem.

II. S. Ambrosius, in *Apologia David c. 6.* ipsum Regem atque Prophetam commendat, quòd, cù ei oblata esset occasio, nullo negotio, nulloque sui periculo Saul persecutoris, à Deo reiecti Regis, occidendi, regni que potiundi, à Deo sibi vnctione Prophetica destinati, abstinuit tunc à nece ipsius, exspectans, vt à Deo mors eidem inferretur. Non minorem laudem meretur Theodosius, qui cum deuicto & occiso Maximo Tyranno summa rerum posset potiri, voluit tamen cum Valentiniano Iuniore partiri Imperium, dum non solùm Italiam, ex qua deiectus à Maximo fuerat, illi restituit, sed adiecit & Gallias, Hispanias, atque Britanniam. *August. 5. de Ciuit. Dei cap. 26.*

III. Quia experientia didicerunt eos, qui ad honorum fastigia euecti sunt, non diu consistere in fastigio & lubrico culminis: magna Imperia magnis subiecta esse casibus, & Iouis fulmina sepe in alta cadere. Vide locum de fortunæ inconstantia.

1. Cùm *Theopompo* summi honores essent oblati, renuisse dicitur, quo nomine obiurgatus ab vxore, quòd humiliter ac minus esset filijs traditurus

E

turus

turus regnum, quàm accepisset, *hactenus*, respondit, *maius quod diuturnius*. Nam quæ moderata sunt, in longum tempus durant. Aliter hæc refert Val. Max. lib. 4. c. 1. *Nulli ferè magna bona & diuturna contingunt, non durat, nec ad vltimum exiunt nisi lenta felicitas*. Seneca in Consol. ad Mar. & de Benef. ca. 7. Idem epist. 39. *Segetem nimia sternerit ybertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non peruenit nimia fecunditas: idem nimis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit*. Philippus Cominæus lib. 10. Comm. *Nihil est præstabilius mediocri vite genere, quam qui potest assequi & tueri, is omnium certè felicitissimus est*. Didicit hoc Cominæus graui suo periculo: in vincula enim coniectus, ex ijs causis ipse capitis dicere coactus est. Q. Curtius lib. 2. ait: *Nimia opes magna iactura sunt*. Quintil. *Nesciunt diu stare successus*.

Thomas Morus, Cancellarius Angliæ, de festo canebat:

*Agnos ego haud porrectiores appeto,
Non auream aut Gygis beatitudinem:
Quæ sit satis sibi, vita sat eadem est mihi.
Illud: Nihil nimis, nimis mihi placet.*

Quid. 3. de Trist. ait:

Tu quoque formida nimium sublimia sepe.

2. *Belisarius* summus Iustiniani Imp. Præfectus vir manu strenuus, atque animi magnitudine, lijsque virtutibus nemini sua ætate comparandus, Gothos aliquoties Vrbe Italiaque pepulit & profigauit; Persas, & Alanos, & Vandalos insigni robore repressit: quorum Regem Gelimerium in triumphum Constantinopolim duxit.

itaque Africam rursum adiecit Imperio Romano. Quibus rebus sic præclarè gestis ut Iustinianus Imp. ei meritum virtutis præmium repræsentaret, præter infinitos honores illi delatos, monetam cudi curauit auream, in cuius altero latere imago impressa fuit Iustiniani, in altero Belisarij cum hoc elogio: *Belisarius decus Romanorum*. Hunc tamen, tot & tantis honoribus ornatum, propter leuem & friuolam regni affectati suspensionem, ab æmulis gloriæ ipsius suscitatum, non tantum honoribus omnibus opprobriisque priuauit, sed etiam erutis oculis, eorum calamitatis reduxit, ut è vili tuguriolo stipem finentium hi mendicare coactus sit, his verbis: *Date obolum Belisario, quem virtus extulit, inuidia occacauit*. Procop. 1. bel. Persi. & Cedren.

3. *Plantianus* ex tenui loco à Seuerò Imp. euectus ad summam potentiam, opesque longè maximas, tandem eò beneuolentiæ apud Imp. peruenit, ut is filiam eius nuptui dederit maiori suo filio *Bassiano*. Verum ex amicissimo ita postea odio habuit, ut & hostem publicum appellaret, & depositis statuis eius per orbem terræ, grauium insigniret iniuria, imò tandem in Capitolium eum vocatum, miserimè trucidaret. *Spartian.*

4. *Eutropius* vir Consularis longè potentissimus, atque ad eò *Arcadij* Imp. tutor, propter quædam conuitia & contumelias in Imperatricem iactas, nedum à Rep. Imperatore iubente, submotus fuit, sed & bonis fortunisque omnibus, imò & vira tandem spoliatus, ut merito Sanctus *Chrysostomus*, testis oculus, exclamet, tantique viri casum admiretur,

E 2 inter

Vide Theatrum hist. loco de pœni contemp. Pontifices.

Imago ludens fortunæ, & rerum vicissitudo.

inter cætera dicens: Quis hoc homine fuit excel-
fior? nonne in toto orbe diuitijs præcellerat? non-
ne eum omnes formidabant ac verebantur? Sed
ecce factus est & vincētis miserior, & seruis mi-
serabilior, & mendicis fame tabescentibus indi-
gentior, per singulos dies præ oculis habens gla-
dios in se exacutos, & præcipitia, & carnifices, &
viam, quæ ad supplicium ducit. Vbi nunc inchi-
tus ille Consulatus splendor? vbi illustres illi

*Vanitas
vanitatum,
& omnia
vanitas.*

*Esaiæ 40.
Omni glo-
ria hominis
vt flos feni.*

fascēs? omnia illa præterierunt, procella veho-
mens folia deiecit, arborem spoliatam reddidit
iam radicitus vacillantem, tantaq; vis venti im-
pacta est, vt cum nervos eius vniuersos concul-
ferit, tum ipsam funditus prosternere minetur.
Vbi nunc fucati illi amici? vbi computationes &
cœnæ? vbi parasitorum examen? Omnia illa mi-
nisi nocturnum somnium fuerunt, appetente die
euanescentes: flores fuerunt verni, vere exacto
marcuerunt omnia: umbra erant, & præterierunt
fumus erant, & soluta sunt: bella erant, & direp-
ta sunt: araneæ erant, & laceratæ sunt. Vide Ba-
ronium Anno Christi 399. & Theat. hist. in loco de
Eccles. immun. viol.

5. Postquam *Bernardus de Cabrera* Petri Regis
Arragoniæ intimus & fidelissimus consiliorum
administer, in aula multos honores felicitate
percurrisset, varijsque exemplis monitus esset,
nihil incertius esse benevolentia aularum, op-
portunam missionem à Rege postulauit, & post-
quam obtinuisset, in Monasterium aliquod se-
cessit, sibi & quieti porro vacaturus. At Rex ab-
sentia viri deprehendens, res cum priuatas, tum
publicas pessum ire; denique sentiens, quàm vti-
le & commodum seruitium amisisset, reuocauit.

Bei-

Bernardum, maioribus honoribus, quàm aliàs vnquam donandum. Nec abnuic vir magnus, redit, & gradus honorum ascēdit, vnde paulo post præcipitatur. AEmuli enim, ægris admodum oculis adspicientes secundam eius existimationē crescere, illum apud Regem falsò accusant. Quibus tamen Rex credens, eum actutum honoribus, fortunis, atque ad eò vita ipsa priuauit, quæ tamen postea facti poenituit, atq; serò tum animi magnò mœrore didicit, calumniam impetu valuisse, nimiamque credulitatem, imò crudelitatem virum tam egregium, deq; se bene meritū euertisse. Discat hinc Magistratus non temere excipere delationes.

6. *Aluarum de Luna*, Castellæ Connestablium, Rex Ioannes in oculis ferebat, si quem alium, eoq; ad eminentes dignitates euexerat, vt solus Regem Regisq; opes pro suo arbitrato regeret; sed tandem Rex expugnari se delatorum scelere permisit, tulitq; vt Aluarus comprehēderetur, atque publicè publicatis omnibus fortunis, capite multaretur. Vox eius à quibusdam, mirantibus secundam eius fortunam, excepta est: *improvidi, quid edificium ante operis fastigium Ibemissa prædicatis? Videtur præsciis & præfagus fuisse cles: Homo miserabilis casus, in quem paulo post fuit coniectus. Fulgos. lib. 6. cap. 11. l'us est fortune.*

7. *Iulius Cæsar*, qui tot tantaque bella gesserat, tot hostes profligarat, Imperij fines produxerat, tandem ob suspicionem affectati imperij in odium apud Rom. vocatus, ab amicis atque necessarijs, sine vlla perfidiæ suspitione trucidatur. *Suet. c. 14. & Liu.*

8. Cùm *Claudius Cæsar* deprehendisset insidias

in se sacrificantem structas esse, Senatū pe
Præcones properè conuocauit, lacrymisque
vociferationibus miseratus est conditionē suam
cui nihil tuti vsquam esset, ac diu publico ablu
nuit. *Suet. cap. 36.*

9. *Saturninus imp. Rom.* inquit apud Vopiscum
Nescitis amici, quid mali sit imperare, gladij
tela nostris ceruicibus impendent, imminent ha
vndique, vndique spicula: ipsi custodes timent
ipsi comites formidantur. Non cibus pro voluptate
nō iter pro auctoritate, nō bella pro iudicio, non
ma pro studio. Adde quod omnis ætas in imperio
prehenditur. Senex est quispiam, inhabilis videtur;
sin minus, inest furor. Nam quod Imperator
rem me capitis, in necessitatem mortis me trahit.
Sed habeo solatiū mortis, solus perire nō poterit.

10. *Augustus Cesar* Dictaturam magna vi offerente
populo, genu nixus, deiecta ab humeris
toga, nudo pectore deprecatus est: Domini
pellationem, vt maledictū & opprobrium semper
exhorruit. Idem non temere vrbe oppidum
villo egressus est, nisi vespere aut noctu, ne qua
officij causa inquietaret. *Sueton. c. 52.* Vide de
dulat. vana gloria, & honore.

11. *Friderici III.*

Symbolum *Maximiliani*, constans ex quinque
vocalibus A. E. I. O. V. *Aquila electa iuste, vni
vni vincit*, denotabat legitimo seu legitime electo
magistratu, nihil esse sanctius, nihil magnificentius,
nihil ad victoriam & felicitatem in bello & pace
consequendam præstantius.

Adhæc Magistratus etiam oblatos non temere
esse suscipiendos docent: 1. exempla eorum, quibus
honores delatos respuerunt, de quibus consultum
locum de Humilitate. 2. quod huic ordini maxime

mè infestus est cōmunis humani generis hostis, diabolus, ideoque contra eum saepe seditiosos ciues excitat. Contra *Moysem & Aaronem* Israelitæ insurrexerunt, cum apud Pharaonem pro illis intercederent. (*Exod. 5.*) seditionem mouerūt Chore Dathan, & Abiron. *Num. 16.* interempti sunt à suis Imperatores, *Galba, Vitellius, Pertinax, Macrinus, Alexander, Gratianus;* & complures alij optimè Imperio ac Rebusp. præfuerunt, malam interim gratiam à suis retulerunt.

Primus vrbs Romæ conditor *Romulus* à Primoribus interfectus, corporeque minutissimas in partes dissecto, occultè sub vestib⁹ per portas asportatus fuit. *Dionys. Halic. lib. 2. Val. lib. 5.*

Miltiades in vincula compactus est: iniquis præmijs dimissi sunt *Cimon, Aristides, Demosthenes, Themistocles, Timotheus, Phocion.* (*Plut.*) Spartani in *Lycurgum* parum grati fuerūt. (*idē.*) Causam apud Thebanos *Epaminondas & Pelopidas* dixerūt. (*idē.*) apud Romanos eadē sunt fortuna vsi *Camilli, Scipiones, Seruili,* & alij. apud Carthag. *Xarippus, & Hāmbal.* (*Val. l. 5. & 9.*) Hac de caussa *Scipio*, voluntarium in exilium abiens, Linterni reliquam ætatem egit, moriens ab vxore petijt, ne corpus suum Romam referretur, & sepulchro suo inscribi curauit: *Ingrata patria, ne ossa quidem mea habes.* (*Liu. lib. 8. Plut. Val. lib. 5. ca. 3. Orof. lib. 4. c. 10. Plin. de Vir. illust. c. 49.*) Pater *Themistoclis* dehortari eum à Reip. gubernatione volens, apud mare proiectas illi & neglectas triremes monstrauit, eundemque populi animum in Magistratus iam senes & inutiles factos esse ostendit. (*Plut. in ger. Reip. prac.*) ipsemet platano arbori similem sese esse dixit, ad quam coelo

pluuioso homines confugiunt, sereno verò eadem lapidibus ac fustibus petunt. (*Plut. Arist. Rhet.*)

3. Quòd nihil difficilius est, quàm alijs bene præesse; opus magnum & arduum imperare. (*Plato epist. 7. Tac. lib. 1.*) Inter omnia animalia homo maximè & moribus varius, & voluntate diuersus: in rectores suos magis, quàm pecus vultum in pastorem suum insurgit. (*Xenoph. 1. Cyr.*) Greg. Naz. in Apol. ait: *Reuera mihi videtur esse ars artium & disciplina disciplinarum hominum regere, qui sunt inter omnes animantes maximè & moribus varij, & voluntate diuersi.*

4. Quòd sæpe multæ & magnæ molestiæ frustra & inutiliter suscipiuntur, & sæpe Respublica corruptior ac deprauatior est, quàm vt iuuari meliorque fieri queat: vbi sapientis non est, in superuacuum niti: (*Seneca ad Gallionem.*) vbi diligentia est plena simultatum, negligentia vituperationum. (*Cic. pro Flacco.*) Magnis licet honoribus colatur Magistratus, multis tamen malis & incommodis agitatur: (*Plato in Axiocho, Xenop. in Hierone.*) multa cogitur horrenda aspectu videre, multa tangere, & ex alienis miseris molestias capere. (*Plut.*)

5. Ob dânnum & iacturam rei familiaris. Nam dum res curantur publicæ, domesticæ peius curantur, nullum ex publico lucrum percipiunt. (*Plato 7. Pol.*) Et qui multa agit, sæpe fortunæ suæ potestatem facit, quam tutissimum est raro experiri. (*Plut. in Demost.*) Hinc plurimi Magistratus pauperes. *M. Curius* (qui legatis Samnitum aurum offerentibus, cum ipse rapas torreret, *malis*, inquit, *aurum habentibus imperare.* *Flor. lib. 1.*)

lib. 1. c. 8. *Plin. de Vit. illust. cap. 33.*) *Aristides*, *Epa-*
monondas, (qui non nisi vnicam vestem habuit,
 quæ cum esset refarcienda, domi manere coactus
 fuit,) *Lysander spartanus* (qui moriens non tan-
 tum reliquit, vt dotem filiaæ assequerentur, vnde
 & dimittere eas mariti decreuerant, nisi retine-
 re Magistratus graui poena coegisset. *Fulgosus*
 lib. 4.

6. Ob querelas & iudicia varia hominum, qui-
 bus nunquam satis fieri potest, (*Eurip. in Iphig.*)
 malè audiunt semper qui præsumunt, belli maximè
 tempore, propter aduersos casus. (*Thucyd. lib. 5.*)
 Idem Magistratus experiuntur quod apud So-
 phoclem de gregibus suis pastores conquerun-
 tur; *Seruius huius, domini licet simus, tamen &*
hos, taceant quamuis, audire cogimur, & quod de
 Samijs Pericles dixit: Similes eos infantibus es-
 se, qui pulsem à matribus ac nutricibus capiunt,
 plorare interim non desinunt. (*Arist. 3. Rhet.*) Ac
 necesse est, quamuis rectè imperetur, multos ir-
 rasci, quòd non tam multi homines iusti sunt,
 quàm qui iniuriam facere volunt, quoniam cu-
 piditates ipsorum expleri non possunt. Boni au-
 tem partim multa magnaque expetunt, quæ asse-
 qui nequeunt; partim, cum inferiores alijs ha-
 bentur, agrè molesteque ferunt, eamque ob rem
 culpam vtrique in Magistratus conijciunt. (*Xi-*
phil.) Quin & vicia Magistratum leuicula libera
 à censura non sunt: quid illi agant, quemadmo-
 dum viuant, inquiritur. (*Plato epist. 4. Xenop. in*
Hierone.) Neque res tantum publicè administra-
 tæ, sed & singula verba notari, victus quoque, ioc-
 ci, domus, ipsa familia, vxor, cubile curiosius
 conquiri solet. (*Plut. in præc. ger. Reip.*) In *Cn.*
 lib. 1.

Pompeio reprehensum fuit, quod uniceo digito
put scalperet : in *Scipione* vituperatum , qui
somnia duceret longius. (*Ibid.*)

7. Magistratus est obnoxius inuidie, neque
modesta vlla felicitas, aut virtus suis vtilis
tillie exitit, quam hæc non vellicarit. (*Sabellicus*
7.) Hæc sæpe fecit, vt præstantissimi viri postea
feliciter gestas exulare fuerint coacti. *Belisarius*,
vt dixi, omnibus dignitatibus ac facultatibus
tibus exutus à Iustiniano, (apud quem summa
authoritate & gratia ante fuerat) stipem olli-
tim colligendo, sustentare sese necesse habuit
& dicere : *Date Belisario eleemosynam*, quæ
virtus extulit, inuidia & ingratitude detecit. (*Sabellicus*
lat. lib. 23. Egnat. lib. 5.)

Iul. Capitol. ait in M. Anton. Nemo est ma-
norum Principum, quem non grauis & falsas
terdum fama perstringat. Et *Otho Imp.* multum
pertæsus calumniarum, frequenter dicebat
Nescitis amici, quid sit Romanum gubernare
perium: mihi credite iam experto, qui iam meo
malo, quam imperare.

Ioannes Aragonum Rex Anno 1479. febrico
reptus post vsum cœnæ Dominicæ, dum lectu-
ni Euangelicæ & recitationi Psalmorum inte-
dit, subito languore concidit, exclamans: *O m-*
ros omnes, qui ad Principatus aspirant, qui diuitias
& nimios honores affectant! O felicem pauperis
conditionem, & illorum securam vitam atq. beatam
qui panem comedunt cum sudore sui vultus! Mis-
sero quid regnum, quid honores, quid obsequia
plurimorum contulerunt? labores magnos, & multum
corporis & anima pericula. Vitam certe vix
multo meliorem, si non Rex, sed pauperis agri-

tor fuissem. Inter hæc & similia extinctum esse refert Marinæus, lib. 18. rer. Hisp. Eisdem planè voris ac querelis Alphonsum fratrem eius Regem Neapol. ex hac vita emigrasse testantur historiæ.

Legimus (inquit Maiolus in diebus (Canic. pag. mihi 801.) de Rege quodam, qui nunquam ridere visus est, qui que nullis rebus, quantumvis iucundis & facietis, ad risum commoueri potuit. Aulici & Consiliarij Regis sui ingenium admirati, fratrem Regis impellunt causam tristitiæ vt sciscitetur. Cui Rex causam indicaturus, postero die iubet foueam profundissimam, stratis in fundo ignitis carbonibus, parari, solium vetustate ferè corruptum superimponi, in quo fratrem diademate, sceptro, & cultu regio magnificentissimo ornatum collocat, abacum auro argentoque cælato & varij generis vino epulisque exquisitissimis instructum poni iubet, adhibentur cantores voce & multiplici instrumento musico modulantes, ministrant mensæ nobiles aulici, nec quicquam regalis magnificentix desideratur. Interim fratris capiti Rex enses filio bombycino imminentem è lacunari demittit, armatos milites quatuor subornat, qui strictis ensibus nouum Regem adorianatur, pectus hic, alter tergum, reliqui duo vtrumque latus mucrone petant. Quibus hoc modo constitutis, fratrem bono esse animo, demere supercilio nubem, & ridere Rex iubet.

At is inter tot pericula totus perterritus, & penè exanimatus, quò se vertat, nisi præsentissimo cum vitæ suæ periculo non videt,

*Vide qua
ante eadē
Dionysio ex
5. Tusc. Cic.
allata sunt.*

videt, modò vt surgere, & abire sibi liceat, p
 Deos omnes precatur. Tum Rex : Talis est v
 omnium ad gubernacula qui sedent : in his pe
 culis vitæ & fortunarum omnium singulis m
 mentis verfor & ago. In Regio quidem sum
 stitutus Throno, at is singulis horis ruinam
 natur : cùm nullum sit in Orbe Imperium ta
 firmum, quod non varijs casibus sit obnoxium
 Quocunq; me verto, imminens periculum
 oculos positum cerno : Supra me Deum iudice
 iustum, accuratam postulaturum paulo post à
 totius vitæ & gubernationis meæ rationem,
 deo, finemque singulis momentis vitæ meæ
 nui filo dependentis imminentem vereri cog
 infra me si lumina defigo, gehennæ horribile
 rathrum infernalibus flammis ardens intue
 si ante me prospicio, vitam vario fortunæ lu
 brio expositam considero, & casus Tragicos
 timesco: retrò respiciens, vitam antea actam m
 tis peccatis & erroribus deploro: si ad vtrumq;
 latus oculos deflecto, imminantium vndiq;
 lorum congeriem, & ingruentium calamitatu
 pericula exhorreo. His malis exercentur quo
 die, qui Imperia & Principatus tenent. Hab
 frater, causas tristicæ meæ, quas dum sing
 momentis mihi ante oculos pono, nullam m
 ridendi & ludendi causam oblatam video.

Demosthenem Athenis profugum, memo
 proditum est, fortunæ turbinibus infractum,
 cunctes iuniores à Reip. cura impensissimè co
 tum auertere, cùm diceret: Si duæ vitæ initio p
 ponerentur, quarum altera ad suggestum fer
 ac concionem, ad euidens exitium altera; præ
 deat autem aliquis, quæ in ciuiliam administ
 tione
 subeu
 noxia
 est. C
 post r
 gistra
 & Ge
 milia
 domo
 do ad
 loco
 Hier
 nesci
 Rect
 firma
 liore
 meri
 di, re
 extre
 Tyr
 pus,
 rum:
 eorum
 autus
 mis p
 fuit;
 na an
 fangu
 expre
 nunq
 rum M
 rum
 gno v
 erucio

tione occurrerent mala, quàm atrox inuidia, quæ subeunda certamina, quibus criminibus vita obnoxia, præstare id inire iter, cuius exitus mors est. Cæli. Rhod. lib. 8. cap. 14. *Moyſes*, (Exod. 3.) & post mortem eius *Iofue*, à Deo ad iupremum Magistratum vocati, suam imperitiam allegabant, & *Gedeon*. (Jud. 6.) ad Angelum Dei dicebat: *Familia mea infima est in Manasse, & ego infimus in domo patris mei*. Sic etiam *Saul* & *Dauid*, quando ad regnum vocabantur, indignos se, & infimo loco natos fatebantur, hinc Deus eos exaltauit. *Hieremias* (cap. 1.) se puerum vocat, qui loqui nescit. *Christus* (Ioan. 6.) fugit, ne Rex creetur. Rectè igitur grauiſſimi Scriptores, vno ore affirmant, nullam esse artem maiorem, aut difficiliorem; quàm tractare Remp. ac proinde sultis meritò haberi eos, qui hoc munus, alijs imperandi, remerè affectant. A quo vitio nos meritò ad extremum deterret illud Syracidis cap. 11. *Multi Tyranni sederunt in Throno, & post modicum tempus, qui non putabatur, portauit diadema ipsarum: multi potentes repente oppressi sunt, & gloria eorum tradita est alijs*. *Cyrus*, ab ipso Deo constitutus Rex & Monarcha Persarum, rebus maximis præclarè & fortiter gestis, gloriosissimus fuit; sed à scœmina *Tomyri* Massagetarum Regina amputatum illius caput in vnam, humano sanguine repletam, proiectum ferunt cum hac exprobratione: *Satis te nunc humano cruore, quo nunquam antehac expleri potuisti*. *Darius* Persarum Monarcha, qui se Regem Regum, & Deorum consanguineum vocabat, ab *Alexandro Magno* victus, & à proprio ministro *Bello* miserè crucidatus fuit. Magnum illum *Pompeium* Aegy-

Osee 8.
Ipsi regna-
uerunt.

ptio-

priorū spadones turpiter interemerunt. Achis
Regis vxor Iezabel à canibus deuoratur. (4. Reg.
9.) Balthasar vna nocte & regno, & vita exu-
tur. (Dan. 3.) Idem Assuero accidisset, nisi con-
rationem ministrorum Mardocheus detexisset.
(Hest. 2.) De aliorum Regum & Principum re-
pentino & inopinato interitu, & de pœnis am-
bit. (Iulij Cæs. Iuliani, Heliog. &c.) consil.
Theatrum historicum: vide etiã versus Maphæ
Vegij post Virg. de Turno & Aenea:
O fragilis damnosa superbia sceptri, &c.

SIGNVM XII.

*Annona
providere.*

ANNONAE PROVIDERE, ET CV-
rare vt necessaria ad victum ciuibus
non desint.

1. Antoninus Pius & M. Antoninus, in pen-
rijs triticum, oleum, vinum, & huius
modi magno pretio empta vili populis erog-
bant & quandoque donabant.
2. Tiberius Cæsar in communibus calamita-
bus pestis, incendij, vel inopiæ proprijs pecunijs
eis opem ferebat. Tacit. 4. Ann. num. 25.
3. Theophilus Imp. Constantinop. vxorem habuit
admodum auaram, vt quæ mercaturam etiã
tam terra, quàm mari exercuerit. Accidit vt Im-
perator per fenestram prospectans ingentem
merariam in portum appulsam conspicatus, in-
so puero cuiusdam ea esset, vnde veniret, & qui
merces veheret percunctari iuberet. Vbi ve-
intellexit vxoris tam nauem, quàm merces esse
nauem